33

# Litterae fidei Regiae Majestatis ~~Fidei~~ ad Electorem Trevirensem.

Stephanus Dei Gratia Rex Poloniae, etc.
Reverendissimo in Christo Patri, Domino Dei Gratia Archiepiscopo Trevirensi ac Sacri Romani Imperii Electori, per Galliam et Regnum Arelatense Cancellario, amico nostro charissimo, salutem et mutui amoris continuum incrementum.

Reverendissime in Christo Pater, amice charissime.

Quum ~~Cum~~ ad Caesaream Majestatem, Sacrique Imperii Ordines, legatum hunc nostrum, Reverendum Dominum Hieronymum de Rozdrazew in Bomsdorff Comitem, Episcopum Vladislaviensem et Pomeraniae necessariis de causis mittendum duxissemus, eidem ut Reverendissimam Paternitatem Vestram quoque conveniret, et quam humanissime nomine nostro eandem salutaret, mandavimus. Quumque ~~cumque~~ iis in negotiis, quae eidem commisimus, non parum Reverendissimae Paternitatis Vestrae studio atque auxilio juvare eum posse Nobis persuadeamus, Illa ne deesse ei Reverendissima Paternitas Vestra patiatur postulamus. Quod si fuerit, Nos ut omni rursum benevolentia propensioneque respondeamus ei, operam dabimus. Reverendissimam Paternitatem Vestram bene valere cupimus. Grodnae, die 10 Julii, Anno Domini 1582 MDLXXXII. Regni vero nostri anno septimo.

Germanica.